

Inscriptiones latinae iambicae

(anthologiae epigraphicae latinae
a Francisco Buechelero confectae specimen alterum ¹).

LII

Decem et octo annorum natus vixi [aeq]ue bene
gratus parenti atque amicis omnibus.
ne] ludas hortor, his summa est severitas.

LIII

Quarto] decumo anno infe[lix mihi venit dies
quae] vitam et lucem reli[quam praecideret,

LII Marini frat. Arv. p. 564 ubi hanc *annos vel annorum natus* formulam qua aetas mortui indicaretur perquam usitatum fuisse Scipionibus aliisque antiquis, posterioribus satis insolitam declarat, ex ara Romana litteris optimis inscripta. praecedit *Cn. Cornelius Cn. f. An(iensi) Bassus*, subsequitur *posuit Fortunatus ser(vos)* 1 sic Graeci *γεγονὸς ἔτη* et *ἔτων* *aeque* scripsi ne violarem numeros, quasi puer hoc diceret 'non aliter quam si diutius vixissem'. quamquam cum versus 2 hiet in caesura et 3 iustam mensuram excessisse videatur, etiam in primo fieri potuit ut non servatis modulis [*assid*]ue aut [*praecip*]ue legeretur. [*utrig*]ue Marinius iungens cum *parenti* 3 inter *omnibus et ludas* fere duodecim excidisse litteras Marinius significat. atque ex *his* concludendum videtur supervenisse versui aliquid huiusmodi *apud manes meos*. sententiam verumque exaequaturō *hic* potius scribendum fuit

LIII Donius inscr. ant. XV 32. extabat lapis in museo Trebiati Italiae (cf. CIL. II p. 502), qui praecedit versus mortuae puellae nomen narravit. . *He]donae Pomponiaes* [*ib.* pariter reliqui versus in fine mutilati sunt omnes, priore autem parte tantum proximi a nomine duo

¹ Specimen primum editum est cum indice scholarum aestivarum universitatis Gryphiswaldensis anni 1870. alterum hoc quod eodem tempore plurimam partem scriptum erat maxime hanc ob causam nunc edere visum est ut iambi quotquot in inscriptionibus exstant uno obtutu omnes cognosci possent.

- nec licitum est misera s[orte me ut aequom fuit
 meis referre lacrumulam [parentibus,
 5 verum me mors acerba s[urreptam prius
 aetate] immatura abstulit [parentibus.
 dulcissima autem et suavis [meis vixi omnibus.

LIV

quoi post acerbam mortem dominu]s se optulit
 monumentu]m ut faceret, [quippe et ip]se genuerat,
 natu] quadrimus [erat, Amoenu]s nomine.

LV

Viator audi, si libet, intus v[en]i;
 tabula est aena quae te cuncta perdocet.

et in quo lacunam Muratorius thes. 1668, 7 ampliorem indicavit sextus versus carminis. iamborum cum manifesta vidissem vestigia, eos ut potui explevi, *quartum* decimum annum aliaque non nulla praestari non posse per se intellegitur. aetatem optumam monstrant *decumo* v. 1 et *lacrumulam* 4 sociata cum *dulcissima* 7, *licitum est* perfectum cf. XXI 2, non fastidita *autem* particula 2 *reli..* numeri vetant ad relinquendi verbum referri. adiectivo vero poteram aliter uti *undecimo anno infelici mihi fatum obstitit, ad vitam et lucem relicuom nequid foret* 4 *referre lacrumulam* idem valet quod exsequias persolvere sententiaque ea fuit quam saepissime parentes liberorum monumentis inscribere ego tibi quod tu mi facere debuisti. cf. IN. 7084 *ante occidit quam suis ben[e meritis pa]rentibus gratian referre pot[uit et Henzen 7379 quod debuit filius parentibus officium praestare, hunc non merito sed fato mors inmaturum apstulit suis carissimum* (a. p. Chr. 16) 7 poteram *vixi usque omnibus*, sed saepius multo talia leguntur *cara suis omnibus, pius in omnes suos* (CIL. II 1242 2367)

LIV Mommsen IRN. 5636. fragmentum Albae Marsorum olim apparuit. lusi ista ut et fuisse carmen et quale esse potuerit ostenderunt. poeticae eloquentiae studium *quadrimus* clare denuntiat. insculpti erant senarii divisi in bina quae penthemimeri caesura efficiuntur commata, itaque per tres senarios a me disposita verba in monumento quinque implent versus. qui cum non modo ab initio omnes detruncati sint sed tertius praeterea male lectus, etiam sententiae restitutio tota fluctuat 1 *...sse* traditur coniunctim non interpunctis verbis 2 *ex-* euntis emendatio mihi non successit prospere. ex lapide enotatum est *...qe se cemyelat.* non aptum puto quod bene de se meruerat, at se curandum est ut servetur 3 cf. XLII 4.

LV Gruter 897, 16 ab Scaligero, A. L. Burmanni IV 243, Meyeri 1348. Antipoli 1 *libet* more prisco productam habet terminationem,

LVI

Vi]ator remane, re nova nomen s[cie]s
b[ene notum

LVII

Tu qui Flaminia transis, resta ac releges.

LVIII

Quod quisque vestrum mortuo optarit mihi,
id illi eveniat semper vivo et mortuo.

LIX

Bene sit tibi qui legis et tibi qui praeteris
monumentum, mihi quod hoc loco feci et meis.

cuius rei ignorationem facilius quam horum imperitiam numerorum Ba-
tavis condonabimus *libeat* aut *libet* et scribentibus *veni* Solerius
in antiquitatibus Provinciae a Burmanno commemoratus, *vi.*i Gruter.
eo intus et intro sum solocismos Quintilianus notavit I 5, 50 2 *ahena*
Nic. Heinsius, *aenea* lapis, cf. Fleckeiseni titulos orthogr. L p. 7

LVI CIL. II 4379. subscriptum monumento quod fuit Tarracone
huic *d. m. C. Iul(ius) Olympian(us), Terent(ia) Lucentina Terent(iae)*
Valentines lib. sibi et suo coniug(i) 1 *viator* emendavi, *lator* alii
alii *amator* exscripserant s[cie]s b . . . scripsi, nihil nisi *s t s b*
tradidere (*sis* Siederus manifesta interpolatione) quod minus probabi-
liter in hanc *mutes* sententiae speciem *st[upe]* b[ene notuisse nostrum
cunctis civibus

LVII Orelli 4836, A. L. Burmanni IV 203, Meyeri 1350. apud
Fulginate Vmbriae. leguntur ista in fine tituli puero facti a parenti-
bus herois rudibus superaddita. senarium aliunde sumptum et inter-
polatum a quadratario agnovit restituitque Conrads exerc. anthol. p. 41 s.
qui compluribus exemplis mixtos esse in lapidibus iambicos versus et
dactylicos elegiacosve docuit, cf. XXVIII *via Flaminea* marmor,
via Conrads sustulit optime, quotquot aliae versus reparandi viae pa-
tent *relege* creticum facit ut *recidat* apud Phaedrum III 18, 15.
similia *redduco* *rellatum* aliaque notissima. verum a quo scriptor sum-
psit is noli dubitare quin in principio tituli collocarit versum ac *perlege*
scripserit

LVIII Gruter 940, 1 (non bene Henzen 7395), A. L. Burmanni
IV 89, Meyeri 1226. in Sabinis. praescripta haec *T. Flavio T. l. An-
tiocho Eros et Viola liberti patrono et sibi et suis fecerunt, Flaviae T.
l. Apameae, T. Flavio T. l. Amphioni, Flaviae T. l. Tertiae.*

Eandem sententiam Muratori 1635, 14 quasi in Romano monumento
iteratam edidit sic *Apusulena Geria vixit ann. XXXIII m. IIII d. V:
quot quisque) vestrum optaverit mihi, illi semper eveniat vivo et mortuo.*
vide Burmannum l. s. similem uno senario comprehensam supra pro-
posui XXV

LIX Mommsen IRN. 7050, Or. 4735, Ritscheli anth. lat. cor. p. 6.

LX

Bene valeat is qui hoc titulum perlegit meum.

LXI

Quisquis praeteriens titulum scribturn legeris,
tactus pietate dicas [mihī terram levem.

Velitris Neapolim delatum. praecedit *have Manlia Anthusa* 2 sic scripsi quo numeros exhiberem prioris senarii optimi similes. *mihī qui hoc loco monument(um) feci et meis lapis soloeca constructione et hiantē versu.* huic ut succurreret Ritscheliū *mihī ante feci* voluit iterari, idem ad sententiam facile exspectari ait *mihique qui hoc loco.* neque qui titulum scripsit aliud videtur cogitasse. sic *bene sit nobis* mortuorum nominibus praepositum apud Gruterum 874, 12. multo quidem frequentius in titulis viator iubetur valere, *bene valeas qui legis, bene valeas quisquis es, bene valeas religiose qui hoc legis* (Gruter 750, 6), *bene valeas quisquis es qui me salutas* (Gori inscr. Etr. III 131, 143), *tu quicumque legis sit tibi suaviter* (ib. I 59, 142) al. non tanta quanta in Veliterno isto humanitas in hoc CIL. II 4174 *bene sit tibi viator qui me non praeteristi, lege no[m]en.* atque populi si consuetudinem reputamus, non acclamari debuit praetereunti simpliciter sed aequa constituta condicione *mihī qui hoc loco sum, si terram optaris levem.*

Memorabilem et confusionem personarum et carminis quandam speciem epigramma Ostiense habet Henzeni 7936 quod aut valde fallor aut tam improbe quam scriptum est enuntiabatur pro trimetris duobus *bene sit tibi qui iacis intus, et tu qui trasis et leges hunc titulum, opta tibi terrā leve*

LX Henzen Or. 6293 ex columbario Romano. totus hic est titulus: *C. Gargilius Haemon Proculi Philagri divi Aug. l. Agrippian(i) f. paedagogus, idem l. pius et sanctus vixi quam diu potui sine lite, sine rixa, sine controversia, sine aere alieno, amicis fidem bonam praestiti, peculio pauper, animo divitissimus. bene valeat et quae supra scripta sunt.* et hanc quidem imprecationem numeris esse conceptam *meum* probat dilatam in finem, sed etiam proxima senario licet concludere *i* vocali in *peculio* obtusa, cf. ad VIII et X. *hoc titulum, hoc tumulum, hoc sarcophagum* plebes dicebat, exempla adnotare singula inutile est sed vehementer optamus ut quaecunque et in libris et in titulis reperiuntur omnia aliquando componantur et iudicentur. contra Fortunatianus artis rhet. III 4 p. 123, 9 Halm. *Romani vernaculi inquit plurima ex neutris masculino genere potius enuntiant ut hunc theatrum et hunc prodigium.*

LXI Renier inscr. de l'Alg. 782. Lambaese. *d. m. s. quisque praeteriens titulum scribturn legeris, tactus pietate hoc praecor ut dicas: Ianuaria sit tibi terra levis. vixit annis LXXV. Iulius Messor coniugi et Iuli Rufus et Ianuarius matri piissimae fec.* quorum prima, si formam pronominis urbanam substitueris, iambica esse apparet. alterum senarium quo repararem exemplar dedere XXII 20 et XXXVI 5, quam-

LXII

Noli dolere [mater] eventum meum,
 properavit aetas, hoc dedit fatum mihi.

LXIII

Noli d[olere] mamma, faciendum fuit,
 properavit aetas, fatus quod voluit meus.

LXIV

Dolere noli frater, faciendum fuit,
 properavit aetas, voluit hoc fatus meus.

LXV

Dolere mater noli, faciendum hoc fuit,
 properavit aetas, voluit hoc fatus meus.

quam plura huius tituli verba retinere poteram hoc modo *tactus pietate hoc precor ut dicas: bene vale*. Iulius Messor etiamsi idem est cum eo cuius Lambaesitani tituli 133, 57 et 833 Ren. mentionem fecerunt, de aetate tamen eius certum non scimus

LXII sic archetypos restitui senarios severa Augusteae aetatis lege exactos in Romana infantium monumenta complura transcriptos non sine corruptela defectuve. Or. 1782, A. L. Meyeri 1270: *Ephebus Aucti f. binus et mensum III dies XIII vixit. nolite dolere parentes eventum meum, properavit aetas, hoc dedit fatum mihi*. Iahn spec. epigr. p. 99: *C. Helvius Speratus v. a. III mens. VII d. . . nolite dolere eventum meum, properavit et quae ante perscripta sunt. ex quibus vir idem intellexit redintegrari facile posse quem p. 37, 215 ediderat titulum sic mutilatum Valeria . . . | vixit . . . | nolite dolere . . . | properavi . . . iidem versus aliis subiecti supra XLIV legebantur cum hoc initio *noli dolere amica*. praeterea inter Gori inscriptiones Etruscas eandem sententiam habes incobatam in fragmento lapidis II 454, 70: *M. Lollius . . . | hic situs est | Philargyrus. | noli dolere | eventum* addidit Bormannus nov. insc. lat. (progr. gymn. Berolin. a. 1871) p. 14 Romanam hanc: *A. Rusticelius Paratus vixit an. XXX. nolite dolere parentes eventum meum, properavit aetas, hoc dedit fatum mihi**

LXIII Bormann progr. s. s. p. 13. in monumento Romae a Pedania Primigenia facto Ampliatae vernae quadrimae. *dolere corrosum*

LXIV idem p. 14. Romae. praecedunt *bene adquiescas frater Aucte Tulli, sei quicquam sapiunt inferi* senariorum similia (*Tullii* versum complet) et distichon epigrammation, secuntur *vixit annos XII*. apicem habent *noli properavit fatus*

LXV Muratori 2062, 5. A. L. Burmanni IV 271 qui male dactylicis versibus iambicos inmisit altera lapidis parte insculptos, Meyeri 1371. Placentiae, olim Romae in monumento Sabidiae Fuscae quae vixerat annos XVIII

Prior versiculus ita ut versus speciem exuerit mutatus est in

LXVI

Dolere noli matrem, faciundum fuit.

LXVII

Noli dolere mater factui meo,
hoc tempus voluit, hoc fuit fatus meus.

LXVIII

Mater monumentum fecit maerens filio,
ex quo nihil unquam doluit nise cum is non fuit.

monumento Romano Muratori 1213, 9: *L. Senti L. l. Coccei* [an *Cocceii*? quod cognomen est Or. 4296] *v. a. I. m. VI. nolite dolere parentes, hoc faciundum fuit.* ceterum clausula Terentiana est eun. 97

LXVI Gori inscr. Etr. I 358, 79. in Florentino C. Iuli C. I. Fausti et Caeserniae Tertullae coniugum ut videtur monumento subscriptum nomini mulieris. *mater* corrigebat Burmannus ad IV 271, si de ipso isto titulo agitur, falso

LXVII Garrucci segni delle lapidi lat. p. 11. Atinae. praecedit *L. Seppi L. l. Principis, vixit annos XXII.* barbare dolendi verbum cum dativo construitur cf. Renier inscr. Alg. 4162 *rarissimae feminae pater dol(ens) casui pos(uit)* et de Rossi inscr. christ. I 140, 315 (anno 381) *quis non doluit etati tuae piasq. lacrimas fudit?* atque iambico pede quinto claudum subsidit carmen. *factus* quid valeat perspicitur ex superioribus formulis *eventum meum* et *faciundum hoc fuit*, hinc vero mulionis faenum mulo duobus assibus aestimari indignantis exclamationi (Henzen 7306) *iste mulus me ad factum dabit* nova quaedam lux adferri videtur

Composuit cum istis sententiis Burmannus l. s. cum hanc parum similem *C. Bennius Caesiae Optatae uxori suae fecit non lubens, sed fatum fecit* (Or. 4634 ubi vide Orelli adnotationem) tum Comensem titulum Gruteri 376, 5 cui alterna mortuorum matrisque dicta adhaerent haec *aetas properavit, faciendum fuit, noli plangere mater. mater rogat quam primum ducatis se ad vos.* atque tria dicto priore convoluta sunt hemistichia *aetas properavit, [mater], faciendum fuit* et *mater noli plangere* superioribus istis paria aut simillima. matris autem responsum ut item carmine quodam praeceptum fuisse suspicer, consensu adducor tituli Narbonensis (Gruter 693, 1) *Lagge fili bene quiescas. mater tua rogat te ut me ad te recipias. vale* in quo iamborum continuitati pronomen officit minime necessarium, et paene gemelli tituli Cartennitani (Renier inscr. Alg. 3864) Scipioni Virio positi qui senarium servavit integrum *mi fili(m) mater rogat ut me ad te recipias.* quibus comparatis conicias archetypum extitisse dolentis matris carmen quod prima habuerit *mater rogat, postrema ut se ad te recipias, media mi fili aut quam primum*

LXVIII Orelli 4609. Cremonae fragmentum. iambi manifesti quales antiquitati conveniunt incompti, prior versus verborum adnominatione ornatus

LXIX

Tali in coniugio haec uni officium praestitit,
ex qua vir doluit nunquam nisi [cum mortua est.

LXX

de qua nihil unquam dolui nisi cum mortua est.

LXXI

Mors mea quoi doluit, posuit hunc titulum mihi.

LXXII

Dolens et maerens filieis fecit sueis.

LXXIII

Fatis peractis mater eode est condita.

quod fas parenti facere [fuerat] filium,
mors immatura fecit ut faceret parens.

LXIX Orelli 4627. Polae. praescripta coniugum nomina *L. Cornelius Cn. f. Laecania Sp. [f.] Maxima* in quibus cognomen viro nullum est more antiquo. haec cum *tali* insequatur sine ratione, arcessitum hoc carmen aliunde videtur 2 *nise mortem* lapis abscissis numeris

LXX addidi quo superioris carminis confirmarem emendationem ex Fabrettio 672, 9: *Terentia Secunda sibi et Terentia Chloe vixit annis IX de qua* eqs. sententiam eandem varie mutantem modo parentes liberis modo coniux coniugi aut frater sorori inscribere in monumentis: *ex qua nihil unquam dolui nisi cum decessit* Or. 575, *de quo nihil dolui nisi quod mortuus est* in actis inst. arch. rom. 1850 p. 179 n. 22, *nihil unquam peccavit nisi quot mortua est* CIL. II 2994, *de qua nemo suorum unquam doluit nisi mortem* Boissieu inscr. Lugdun. p. 483, *de qua nullum dolorem nisi acerbissimae mortis eius acceperat* Or. 4626, cf. Fabrettium p. 273 et 275

LXXI Orelli 4798. Brixiae. praescriptum *Clodiae Lethae*. aperte metricis modis coacta verba. indidem emanavit titulus item Transpadanus Or. 4799 *C. Sentidi Saturnini, sepulcrum mihi hoc posuit, mors mea quoi doluit* in speciem pentametri transformatus. de intransitivo verbi usu cf. Gruter 812, 6 *de qua doluit nihil nisi mors eius*, Phaedrum III 10, 16

LXXII Gruter 674, 11. Pisauri. praecedit *Calpurnia C. f. Maxima mater*. operam deditam senario in fine collocatum *sueis* probat, cf. LXVIII *merens* Gruter

LXXIII Gruter 707, 8 (viderat Smetius), A. L. Burmanni IV 255, Meyeri 1357. Ameria translatus Romam titulus hic est *diis manibus Successi fil(i) Caesia Gemella mater piissimo filio de suo, vix. ann. IX m. IIII dieb. XV. fati peractis mater eode est condita, quae post obitum fili vix. ann. III m. XI d. VIII* et sinistra parte *quod eas parens facere debuit filius, mors immatura fecit ut faceret parens. pater Successus*

LXXIV

Quod par parenti fuerat facere filium,
mors immatura fecit ut faceret pater.

LXXV

Quod par parenti fuerat facere filiam,
mors immatura fecit ut faceret parens.

LXXVI

Quod par parenti facere fuerat filiam,
mors immatura fecit ut faceret [parens].

LXXVII

Quod debuit parenti facere filia,
id immature filiae fecit pater.

supremum utrisque praestitit officium. ut ex prioribus secernendos iam-
bos duxi in quibus *code(m)* duas impleret syllabas, sic extrema facillime
possunt in senarium cogi *pater supremum utrisque officium praestitit*
concl. LXIX 1, quamquam propria pentametri illa clausula etiam alibi
apparet (*Epaphras postremum praestitit officium* Or. 4611) 3 *fas*
parenti Mazochius Pighius, *eas parens* Gruter. deinde *fuerat filium* pro
debuit filius Schraderus substituit ep. crit. p. 72, post quam Burmannus
inscriptionem comparavit Gudianam p. 249, 2 *quod fas erat filium facere*
parentibus, morte immatura . . . filio fecere parentes infelicissimi

LXXIV Muratori 1212, 1 Burmannus A. L. vol. II p. 194. Tiburi.
praecedat *Sp. Saufeius Sp. filius vixit an. VI mensem I dies quinq.*

LXXV Mommsen IRN. 5608. Antini. praecedat *d. m. Variarum Mon-*
tanarum. insequitur vixit an. XXII. Varia [An]odyne et Montanus populi
Antinatium Ma[rs]o[r]j. ser(vus) arcarius filiae p[ro]prietissimae 1 fuit
et 2 faceret infelix parens lapis

LXXVI Mommsen IRN. 6139 Burmannus l. s. s. Hadriae. praescriptum *Terminiae Q. f. Sabinarum Brititia Sabina mater p. vix. a. XXVI.*
exitus hic est *ut faceret mater filiae. in f(r)onte p. XV in a(gro) p. XV.*
suo hunc titulum numero notavi quod priorem versiculum unus omnium
haberet elegantissimum

Alterius versus exordium sententiae eidem inhaerens aliae quoque
inscriptiones tradunt, ut Gruter 669, 4 (Burmannus l. s.) *cui vota erant*
ut parentibus ista pararet, sed mors immatura fecit ut facerent parentes
filio contra ordinem [fatorum et Muratori 1233, 6 quod facere nati
parentibus debuerant suis, mors immatura fecit ut filiis facerent parentes.
ubi etsi subsultant fere iambi (*debuerant suis*) carmen tamen aliud non
puto subesse. plenus versus repetitur IRN. 7017 *quod filia patri facere*
debuer. mors in matur. fec. ut faceret pat. b(ene) m(erenti)

LXXVII CIL. II 2274. Cordubae. praescriptum *Egnatia Florentina*
h(ic) s(ita) e(st): s(it) t(ibi) t(erra) l(evis). prior versus in lapide hic est
quod parenti facere debuit filia, id est vulgaris formula (cf. IRN. 336
347 1342 1996 al.) substituta in locum illorum *quod par parenti* eqs.,
quamquam ex his quoque mutato ordine effici posse senarium vides

LXXVIII

quod aequom fuerat filia hoc faceret mih[i].

LXXIX

mors intercessit, filio fecit pater.

LXXX

Alei in venerieis [rebus rem perdunt suam,
mihei contra r[em bene auctam fortuna invidet.

LXXXI

Fors spondet multa multis, praestat nemini:
vive in dies et horas, nam proprium est nihil.

LXXXII

Dum vixi, vixi quo modo ingenuom decet,
nam quod comedi et ebibi, tantum meu est.

LXXVIII Mommsen IRN. 4514. in agro Sorano. praecedit *d. m. s.* *Oppia Calsiane mater feci filia[e] meae*, secuntur aliena. exemplo fuisse putes *hoc immature mater feci filiae, quod aequom fuerat filia ut faceret mihi.* per aliud verbum IRN. 1078 *quod decuit filiam facere, fecere parentes infelices* (ut Cicero ait in Catone § 84 *cuius a me corpus est crematum, quod contra decuit ab illo meum* titulique dactylici)

LXXIX composui ex titulis Florentino Gori insc. Etr. I 149, 61 (*M. Vipsanius Sp. f. Latinus vixit anno I. filius facere quod debuerat patri, mors iniqua intercessit. filio fecit pater*) et Puteolano Mommseni IRN. 3445 (*Vmbriaciae Iustae annorum XVI parentes filiae incomparabil(i): quod illa parentibus facere debuit, mors inter cessit, filiae fecerunt parentes*). prior versiculus repetendus ex epigrammatis superioribus

Similem sententiam habet iamborumque aliquam speciem Romana inscriptio Or. Henzen 7381: *quod a te mihi fieri, Cyrille, iniqua fortuna invidet, hoc ego tibi feci mater infelicissima*, certe prius comma haud longe abest ab senario (*quod te mihi facere aut quod mi a te fieri iniqua fortuna invidet*). IRN. 680 Ias Ianuariae sorori acclamat *aego mi aps te speraba(m), nunc tibi feci* (adde *quod* in principio et in finem tibi transpone, versus fiet). in actis inst. arch. 1862 p. 82 *dignissimo coiuX Dafine fecit, ego tibi quod tu mi facere dibuisti, mi qui faciat nescio*

LXXX CIL. I 1277. Venafri. senariorum principia duorum Ritschelii agnovit PLME p. 106 ad tab. LIX i, supplementa ista proposui in annalibus phil. 1863 p. 770 ut *alei* non dativus sing. sed plur. nominativus sit

LXXXI CIL. I 1010. Romae. praecedit *Primae Pompeiae ossua heic, sequitur Salvius et Eros dant* 1 *fors* Mommsenus, *fortuna* monumentum (ut Vergilius ait *spondet fortuna salutem*). quo servato Ritschelii anth. lat. coroll. p. 5 *deleri multa voluerat* 2 *Syrus* 379 W. *nil proprium ducas quod demutari potest*

LXXXII IRN. 1446 (Henzen Or. 7407). in pago Beneventano.

LXXXIII

*Eo cupidius perpoto in monumento meo,
quod dormiendum et permanendum hic est mihi.*

LXXXIV

*Heus tu, viator lasse, qui me praetereis,
cum diu ambulareis, tamen hoc veniendum est tibi.*

LXXXV

*Frequens viator, saepe qui transis, lege:
natus pro te sum*

LXXXVI

Homines ego moneo niquei diffidat sibi.

praescriptum *P. Clodius P. f. Ste. Pius leg. XX[X]* quomodo condecet ingenuom lapis. idem omisit nam solent coniungi comedere et ebibere, vide Plauti trunc. I 2, 54 et quae Bentleius attulit ad Ter. eun. V 8, 57. Sardanapali haec sapientia cum in Graecis aliquot sepulcris traditur (cf. Welckeri syllogem p. 90 n. 60 οὐχ ὁ θανάων πίεται vel appendicem sylloges p. 49 ἔσθιε πείνε τρίφα) tum vel in sacerdotis orgiophantae monumento Romano (Henzen 6042) ubi quae disticho praemissa sunt, quia fere iambis decurrunt, adponam mutata in senarios: *Vincēti hoc oro ne inquietes quot vides. omnes expecto, plures me antecesserunt. mandūca, vībe, lude et beni at me [cum voles]. cum vībes, [animo] bene fac, hoc tecum feres.* vide quae Cardinali collegit isc. Velit. p. 123 *quod edī bibi, mecum habeo, quod reliqui perdidī* ac similia

LXXXIII Muratori thes. 1738, 12, Orelli 4808. Narbone. praescriptum nomen viri (*L. Rūnius P . . . | Cn. f. Pollio*) 1 eo vel hoc supplevit Ritschelius anth. lat. cor. p. 6. lacunam indicavit Muratorius, neglexit Gruterus 922, 2

LXXXIV CIL. I 1431. Cremonae. praecedit *M. Stātius M. l. Chilo* hic, sequitur *in f(ronte) p(edes) X in ag. p. X.* liberae rei p. temporibus titulum iure tribuit Ritschelius. 2 *diu* ut monosyllabum (cf. *dudum*) cum sequente vocali coalescit, vide Fleckeisenum in annalibus philol. 1870 p. 72

Lugdunense fragmentum Muratori 1773, 6 e Maffeo enotavit hoc *hospitium tibi* (interiectum est spatium quoddam) *hoc invitus venio, veniundum est tamen.* senariine fuerunt, alter sic incipiens *quamquam hoc?*

LXXXV CIL. II 3181, Orelli 4749, Valeriae Celtiberorum. praecedit titulus Ael. Hermeroti aurigae positus ab Hermia patre servo publico 2 alterius hemistichii obscurae reliquiae *...s t. iō i. co* ut exitus possit fuisse *tuto loco.* quid voluerit poeta, fortasse conicere licet ex hac admonitione (Muratori 1774, 8) *hospes, quid sim vides, quod fuerim nosti, futurus ipse quid sis cogita* aperte desinente in senarium

LXXXVI IRN. 5648. Sulmone litteris vetustis infra imagines pastoris et plostrarii. epigramma sine dubio imperfectum

LXXXVII

Tu qui adstitisti mei monumenti, [hospes, memor,
ambula et te esse hominem fac [ut semper memineris.

LXXXVIII

Sumus mortales, immortales non sumus.

LXXXIX

ut perferantur, si qua sunt, ad inferos.
date terrae fructum, ut terra possit reddere.
ab alio speres, altero quod feceris.

XC

Custos sepulchri pene dstricto deus
Priapus ego sum: mortis et vitae locus.

LXXXVII Muratori 1689, 9, A. L. Burmanni IV 270, Meyeri 1370. praecedit Iuliae Aphae virgunculae titulus dactylicis versibus compositus. senarios istos agnovit Conrads l. s. s. p. 42. 1 *memor* et 2 *cogites* iam Burmannus addiderat 2 pronuntiandum *ambla* ut in Flori Hadrianiqve versiculis *amblare per Britannos (tabernas) fac perpetuo cogites* Conrads

LXXXVIII Muratori 168, 1. Mutinae. integer hic senarius insertus legitur orationi satis prolixae in sepulcro quod Vettius Nepos II vir quinquennalis sibi fecit et uxori *sanctissimae cum qua per null[os annos] bene vixit. tu [semper memento]:* sequitur versiculus iste. *praesumptio nostra haec est vas victuros credimus . . . sic ergo tu mortal. securam iam nunc alia pariter mutila ut dubites num solus iste verus fuerit*

Addita syllaba senarius fit ex sententia in quam desinit IRN. 6058: *nam] vita morti propior fit cottidiae* (ut Seneca ait epist. 120, 17 *nam quotidie vivimus*), cf. Cardinali iscr. Velit. p. 151

LXXXIX Gruter 928, 9. Romae. sine capite carmen, fortasse luxata membra 1 *si qua sunt* quorsum tendant, apparet ex Gori inscr. Etr. III 301, 451 *precor si qui estis Manes sit suaviter* vel Henzen 7382 *impetra si quae sunt Manes, ne tam scelestum discidium experiscar diutius* 2 Euripides interprete Cicerone tusc. III 59 *reddendast terrae terra, tum vita omnibus metenda ut fruges*, in Graeco carmine *ἐκ γαίης βλαστῶν γαῖα πάλιν γέγονα* (cf. Welckeri syll. p. 92) 3 Syri versus 2 W. *ab alio expectes, alteri quod feceris.* cf. Orelli 4786 *quod si nocueris, nocēberis ab alio* et 4802 *quod feceris, et tibi alius faciet* quae ad tutelam sepulcrorum spectant. *alio nemini* IRN. 4641

XC Henzen Or. 5756 a. Romae. qualis in hortis collocari solebat, talis sepulcrum custodit Priapus coniunctum cum hortis vineisve, cf. Iahni spec. epigr. p. 65 ss. iambi graecanici, ut plurimae illius columbarii inscriptiones circa Tiberii aut Claudii Caesaris tempora exarati

XCI

Illi deos iratos, quos omnis colunt,
si quis de eo sepulcro *quid* violaverit.

XCII

Ita candidatus quod petit fiat tuus
et ita perennes scriptor, opus hoc praeteri.
hoc si impetro a te, felix vivas. bene vale.

XCIII

Ita candidatus fiat honoratus tuus
et ita gratum edat munus munerarius
et tu [sis] felix scriptor, si hic non scripser[is].

XCIV

Ita valeas scriptor, hoc monumentum praeteri.

XCV

Ita levis incumbat terra defuncto tibi

XCI Gruter 826, 7. Patavii sub titulo Sempronii Primi et uxoris Clodiae Secundae et Sempronii Tertii fratris. cf. Iahn spec. epigr. 28, 30 *qui violaverit sive immutaverit, deos sentiat iratos*, Gruter 917, 1 922. 3 Fabretti p. 109 1 *iratam mihi* omisso verbo similiter Martialis IV 43, 5 *sepulcr | violarit* Gruter, quae sermonis causa et metri mutavi

In pluribus vasculis ossuariis (Fabretti 21, 91 Iahn spec. ep. 44, 173 Henzen 7342) haec reperta est admonitio *ne tangito, o mortalis, reverere Manes deos*. in qua quod *Manes di*, non *di Manes* dicuntur, tam praeter consuetudinem accidit ut numeris quondam inclusa illa fuisse suspicer, iambis autem talibus *ne tangito, o mortalis, cole Manes deos* (Phaedrus I 27, 6 *violarat quia Manes deos*) praestat Saturnius versus *reverere Manes divos*

Probum hunc senarium *ollam severi flaminis ne tangito* olla quidem habet antiqua sed novicio studio inscriptum sacerdotis cuiusdam Gallici ut Boissieu narrat inscr. Lugdun. p. 99

XCII Henzen Or. 6975. prope Narniam. scriptores isti vel inscriptores (Henzen 6977) quo modo candidatorum nomina munerumque indicia pervulgarint muri Pompeiani clare demonstrant dixitque de hoc genere hominum novissime Zangemeister CIL. IV p. 10 3 *at felix* Henzen: correxeram in annalibus philol. 1858 p. 78

XCIII Henzen Or. 6976. Foro Popilii. iambi interpolati 1 debet scribi *fiat aedilis* aut quod legitur in superiore carmine, iam prave anapaestus inlatus est 2 *munus tuus munerarius* lapis sine metro 3 *sis* in fine versus oblitteratum addidi in annalibus phil. 1858 p. 78 recepitque Zangemeister CIL. IV p. 10

XCIV Muratori 1772, 2 Orelli 4751. in agro Aquileiensi *monumentum* Orelli

XCV Fabretti 283, 181. prope Romam 1 *denuncio tibi* editum est 2 *quiesci* disyllabum cf. XLI 3 3 hiatus in caesura vitari poterat sic *violare umbras*, primitivum autem fuit *sepulcri manes*

vel assint quieti cineribus Manes tuis,
rogo ne sepulcri umbras violare audeas.

XCVI

Rogo per deos Stygios, ossa nostra, quisquis es
homo, non violes, non trasilias hunc locum.

XCVII

Qualem paupertas potuit, memoriam dedi.

XCVIII

Oculos reposuit statuis qua ad vixit bene.

XCVI Gruter 601, 10 a Smetio, Orelli 2998. Romae. versus non videntur casu facti, cum praesertim di ornatius vocentur Stygii. IRN. 6893 *quisquis es homo et vos sodales meos cunctos rogo per deos superos inferosque, ne velitis ossa mea violare*, Gruter 996, 13, Maffei mus. Ver. 294, 2 al. ubi eadem praetereuntium obtestatio per deos superos inferosque. 1 *oss. nostr. lapis* 2 *non pro ne plebeium ut apud Petronium sat. 74 suadeo non patiaris genus tuum interire non tras. h. l. lapis, quod si recte sic interpretati sumus, in transiliendo inest simul insultandi notio*

Senarios quidem faciunt cautiones sepulerales Gruter 755, 5 *huic monumnto ustrinum applicari non licet* (ibid. 1044, 7 *ad hoc monumentum ustrinum aplicari non licet*) et Gori insc. Etr. I 427, 297 *ad h(oc) m'onumentum u(strinum) f(eri) n(on) l(icet)*, verum a poetice tam videntur alienae quam Viniciae Donatae oratio Gruter 1001, 5 *maceriam clusit circum monimentum suum*

XCVII Muratori 1335, 7. prope Avenionem. praecedat *Cupitiae Florentinae coniugi piae et castae Ianuarius Primitivus maritus*. sic alibi additur *pro meritis parum, pro facultate satis*. Gori I 210, 51 *si pro virtute et animo fortunam habuissem, magnificum monumentum hic aedificassem tibi, nunc quoniam omnes mortui idem sapimus, satis est*

XCVIII Gori I 406, 215, Orelli 4224. Florentiae. praescriptum *M. Rapius Serapio hic ab ara marmor(ea)* ut Romanum titulum esse pateat. longa I in *statuis* et prior in *vixit*, puncto *divisa qua ad cf. quoad et adquo*

Rudimenta poetica etiam Gavii Donii titulus Corfiniensis ostendit (Henzen 7221) *qui caliculis lana pelliculis vitam toleravit suam: tu qui legis vale et cum vol[es ve]nito* ubi noli octonarios iambo numerare. in mente scriptori erat tale carmen *hic quaestu honesto vitam toleravit suam, tu qui legis vale et veni ad me cum voles*

In monumento quod classiarius aliquis Ravennas et Spedia Prisca alumno pararant (Muratori 1450, 6 ex schedis Iac. Valerii) haec subiecta feruntur *o fata brevia contrariaq. mihi, quae me levastis parvole vitae meae, ut hoc venirem annis plenus XI. nam omnia fecer(unt) quorum alumnus fui. non muto contraria fata sumpta ex Vergilio, si scripseris fata mihi contraria, continui fient tres senarii, quartum nolo attingere, modo ne tribus istis manus inquinarem.*

Verba in modum senarii pergentia aut cadentia aliquotiens deprehenduntur in titulis, ut confirmetur Ciceronis (orat. 184) iudicium de senariorum comicorum solutaeque orationis similitudine. CIL. I 1028 *Nicepor monumentum me vivo aedificavi et in meo monumento . . .* Orelli 4229 *Heliades in quo nunquam indormivit timor.* Henzen 7233 *M(arcus) Cocceius Hilarus officiis suis hic in horreis Nervae (versificator dedisset hic optumam fidem et) amorem habuit maximum.* in Fabrettina (33, 165) inscriptione ne comprehendantur in unum *hic situs est | quoius pietas laesit neminem*, etiam lacuna dissuadet post *est* designata et post *neminem*. IRN. 6784 *hic sita est Propitiae pupa et famula Bacchi cymbalis Mommsenus cymbalis(tria) interpretatur recte opinor.* Or. 4651 *quae dum nimia pia fuit, facta est inopia, nilo mehercle deterius erat pietate nimia est.* IRN. 6742 *repente raptus est mihi*, ibidem 2047 . . . *constitui aeternum [mihi me]isque terminum.* pluraque possunt cumulari etiam excedentia numeris senarium velut Renier inscr. Alg. 3863 *virgo decora et innocens quae prope novos obi(i)t toros*, Fabretti 148, 189 *derisori qui vixit bene et consummavit bene* qualia erunt fortasse qui in carminum loco ponant. Brambach inscr. Rhen. 1052 *ut primum adolevit pollens viribus, decora facie* sumpta sunt ex Sallusti Iug. 6.

Mirum igitur non est quod carminum affectatores cum versus alii haud ita facile succederent, unum et alterum senarium interposuere praeter ordinem. in monumento Bassae cuius coniux Laberius praedicatur vates (Muratori 771, 1 A. L. Burmanni IV 66, Meyeri 1210) initium fit a septenariis trochaicis tribus quorum extremus sic legendus est *animus sanctus cum maritost (si lapis), anima caelo reddita est*: secuntur senarii duo *parato hospitium (hospitio Bonada II p. 114) cara iungant (iungunt idem) corpora haec rursum nostrae sed perpetuae nuptiae*: deinde hexametri septem, denique de ipso Laberio disticha duo. Laelio Africano musico dicatur carmen rude (Maffei mus. Ver. 294, 7 A. L. Burmanni IV 261, Meyeri 1362) principium et exodium binos versus habet dactylicos, medios duos hos senarios *receptus inter [scaenicos cunctis] prior celebri favore artem exponens suam* quorum alter tam vaste hiat quam pentameter intumuit iste *acceptusque nimis multis magnifico ingenio*.

Fraudulenti homines siquando carmina supposuere iambica, in ea incurrerunt vitia quibus cum antiqua etiam rusticitas fuerit libera, facile dolum novicium perspicias. velut Maro Calpurnii Lausi alumnus Beneventanus (IRN. 1664) quod his laudibus effertur: *domino dilectus, quoquo irret semper comes, poculi minister, doctus palestra puer, aequus sepultus hic sum natus annos octo et decem*, metri quidem causa falsas non iudicarem nisi unum tenerent vitium nullo modo excusabile idque furti indicium certissimum *palestrae*. legerat senarios sed nescio num facere ipse sibi visus sit qui haec finxit: *vixi dum vixi bene. iam mea peracta, mox vestra agetur fabula. valete et plaudite* (Ackner Mueller inscr. Daciae 144, 679 Or. 4813)

ADDENDA

XCIX

Meas quoque aures Memnonis vox i[n]cidit.
nomen [no]to [decus]que vatem Maximum.

C

Amat qui scribit, pedicatur qui legit,
qui osculatur prurit, pathicus est qui praeterit.
ursi me comedant, et ego verpa qui lego.

CI

Tu qui lucernam cogitas accendere,
cal[ens] adest os

XCIX Letronne inscr. de l'Égypte II p. 413 (tab. 35, 11). Memnonis in statua cuius inscriptiones plurimae Hadriano imperante factae sunt, nulla ante Neronis aut post Septimi Severi tempora. praescripti sunt ab eodem homine trochaici duo septenarii item graeca arte facti

1 *quoque*, quia alii plurimi ibidem se audisse Memnonem testantur *incidit* fere descripsit Salt, et in ectypo *i* prima littera apparuit. usitatius quidem *accidit*, tamen *manus meas incidit* similiaque sine praepositione Apuleius proferebat 2 *nomenecto* [quo]que Salt inclusas uncinis litteras incertas esse significans, *nomen..to* nihil amplius ectypon praebet. versum saltem pedibus instruxi, et *nomen* [ann]ecto quoque Letronnius, verum *quoque* nisi post eam particulum Saltium praeteriisse quid sumpseris, versus omnino respuit

C CIL. IV 2360. Pompeis in aedibus Balbi clare scriptum graphio 1 *scribet* et *leget*, 2 *paticus* murus. idem *opsculatur* (cf. add. p. 219) cui depravationi viam muniisse opinor satis notam *abscultandi* formam 3 comparavit Zangemeister parietinam inscriptionem Romanam (mon. inst. arch. 1865 tab. 23, 1) *quisque meam futuet rivalis amicam, illum secretis montibus ursus edat*, pro qua inprecatione in eadem plane sententia Pompeis CIL. IV 1645 legitur *illum in desertis montibus urat amor*. paroemian sapiunt etiam Habinnae apud Petronium verba sat. 66 *si, inquam, ursus homuncionem comest, quanto magis homuncio debet ursum comesse?* videtur igitur tertius versus respondere primo ac *verpa* scriptum esse pro *verpam*, nam centiens in parietinis illis titulis *m* finalis non apparet

CI CIL. IV 1941. basilicae Pompeianae inscriptum 2 *cal...* *adest* certo mihi legere videor in tabula 23, 11. pone *os* nimis dubiae litterarum reliquiae, in fine *tibi* Zangemeister coniecit. venerium opinor lusum fuisse et media convenire vestigia etiam in *amoris*

Praeter duo haec carmina eis quae in superiore parte (a XII ad XIX) proposui etiam alia muris Pompeianis inscripta accesserunt ex CIL. volumine quarto, quamquam editor eius paulo plures quam ego agnosco rimatus est versiculos (cf. n. 427). potest senarius fuisse n. 1863 *prehen]de servam: cum voles, uti licet*, dubitat tamen Zangemeister *servam* num recte scripserit, posse etiam *seicvam* vel *seisuam* legi. n. 1237

CHOLIAMBI

CII

- Numice Lavinias
 v]irecta Pilumni
 pon]tifex sacris votu[m
 c]lara sanguis Aenea[e
 5 m]aximus petitorum
 p]rosperetis eventus
 a iura Laurentum.

CIII

Per haec sepulchra perque quos colis Manes
 his parce tumulis ingredi pedem saepe:
 sic nunquam doleas atque triste suspires,
 quantum doloris titulus iste testatur.

epistolicam praescriptionem versumque Vergilianum (Aen. IX 269) deformatum secuntur haec ex scholastica fortasse trimetrorum lectione congesta *virtutis merces, palmam pretium gloriae, victoriae spem causas*. n. 1118 add. p. 203 in pentametrum quam in seuarium explere malo *iam docui silices verba [benigna] loqui*. prorsum non constat de lectione tituli 1322 (tab. 21, 27 et 28), quem dum sic expedit *rogamus, Delos, augura incenato iter*, certe nil amplius quam umbram veri vidi. iure autem Zangemeister add. p. 196 pro senario habuit titulum Henzenianum 7287 Iuvavi repertum in pavimento *felicitas] hic habitat, nihil intret mali* (pronuntiandum *intret*) nempe Pompeis in pistrino CIL. IV 1454 inscriptum est *hic habitat felicitas* et in taberna ibid. 733 graecum carmen quod latine conversum in Iuvaviensi titulo videri olim adnotaram $\delta\ \tau\omicron\upsilon\ \Lambda\iota\omicron\varsigma\ \pi\alpha\iota\varsigma\ \kappa\alpha\lambda\lambda\eta\lambda\iota\kappa\omicron\varsigma\ \text{Ἡρακλῆς ἐνθάδε κατοικεῖ, μηδὲν εἰσιέτω κακόν}$.

CII Bormann inscriptt. lat. nov. p. 17. Lavinii inventus lapis superne et inferne integer. litterarum formis editor fere Diocletiani aevum indicari narrat. precatur aliquis cuius nomen versu 5 periiit, ut videtur, petitor deos Lavinates, Numicum aliosque ut prosperer eventum tutenturque sacra iura Laurentum 2 cf. Verg. Aen: IX 3 *luco tum forte parentis Pilumni Turnus sacrata valle sedebat* 4 fortasse Iliā intellegenda secundum vetustissimam narrationem filia Aeneae.

CIII Gudi ant. inscr. 272, 1 qui Caracallae aetati tabellam adsignat, Orelli 4828, A. L. Burmanni IV 180, Meyeri 1302. Romae. praecedit titulus a Q. Fabio Augurino consecratus filioli et coniugis memoriae. clausula versus 2 non scite composita (*ingredi pedem* ut graece $\xi\mu\beta\epsilon\beta\omega\varsigma\ \pi\acute{o}\delta\alpha$) v. 3 cogitavit scriptor *tantum doleas, tam triste* 3 *nunquam* abiecta finali pronuntiatur quasi trochaeus: Probi appendix (gram. lat. IV p. 199, 15 K.), *nunquam non numqua* (ibidem *pride oli* alia memorantur), Or. 4805 *ude nunqua fuit* al. 4 *quantum* Fabretti 612, 105 ut in tabulis Heracleensibus (CIL. I 206) saepe scriptum est

CIV

Iuvenis Sereni triste cernitis marmor,
 pater supremis quod sacrauit et frater
 pietate mira perditum dolens fratrem,
 quem fleuit omnis planctibus novis turba,
 5 quod interissent forma flos pudor simplex.
 dole meator quisquis hoc legis carmen
 et ut meretur anima, lacrimam accomoda.

CV

Queri necesse est de puellula dulci:
 ne tu fuisses, si futura tam grata
 brevi reverti, unde nobis edita,
 nativom esset et parentibus luctu.
 5 semissem anni vixit et dies octo,
 rosa simul florivit et statim periit.

CIV IRN. 2001. repertum apud Nolam. praecedit iuvenis titulus
M. Sta.....o M. f. Pal.....co Fivio [Sere]no Rutilio Caesiano II viro au-
guri, vixit ann. XXXI mensib. XI diebus XVIII, subscriptum *ipsius*
pater miserimus. nominum multitudo non antiquiorem Hadriano homi-
 nem esse docet 2 aliter dicta CIL. I 1051 *quius heic reliquiae*
suprema manent vel Vergiliana *cineri suprema ferebant* 7 *accomoda*
 scriptura numeros edit hos *lacrimam accómoda* temere soluta paenultima
 quae debebat esse longa in breves duas, nam sublata altera *m* breviasse
 volgus syllabam sicut Itali credendum est. an subiectum choliambis se-
 narium unum putemus? hoc eo probabilius quod etiam in graecis in-
 scriptionibus (velut in Memnonis statua) imperiti poetae claudos rectos-
 que trimetros miscuere. claudio erat aptum *lacrimam ádsperge*

CV Brambach inscr. Rhen. 1053. Moguntiaci. praecedunt quae in
 alio lapide ibid. 1054 repetuntur *d. m. Telesphoris et maritus eius pa-*
rentes filiae dulcissimae. scazontas binos a rectis trimetris singulis ex-
 cipi puto (6 *statim perit*), nisi extremum versum malueris pro choliambo
 habere quem pes trisyllabus claudat cum altera I in *perit* elata videat-
 ur: tertius versus a reliquis etiam quinto pede differt. hiatus in cae-
 sura v. 3, *m* finale non elisum 4 et 5, *rosa* 6 iambus. qui soli bene
 compositi sunt duo primi versus fortasse aliunde adsumpti 4 sermo
 flagitabat *nativom* (in fatis) *habebas et p. luctu esse* (fieri) 6 in ana-
 glyphis 1053 florum calathus infanti adstat, 1054 sinistra manu infans
 florem tenet. *florire floriet* memini in carmine quodam Africano legi et
 ab Augustino dici in consuetudinem venisse populi, plura ex Vulgata
 exempla descripsit Roenschius (de Itala et Vulg. p. 284 et 287), cf. Ro-
 manensium *florire* vel *fleurir*

DIMETRI IAMBICI

CVI

Cervom altifrontum cornua
dicat Dianae Tullius,
quos vicit in parami aequore
vectus feroci sonipede.

CVII

- Hoc hoc sepulchrum respice,
qui carmen et Musas amas,
et nostra communi lege
lacrimanda titulo nomina.
5 nam nobis pueris simul
ars varia, par aetas erat.
ego consonanti fistula
Sidonius aera perstrepsens
- hoc carmen, haec ara, hic cinis
10 pueri sepulchrum est Xanthiae,
qui morte acerba raptus est,
iam doctus in compendia
tot literarum et nominum
notare currenti stilo,
15 quot lingua currens diceret.
iam nemo superaret legens,
iam voce erili coeperat
ad omne dictatum volans
aurem vocari ad proximam.
20 heu morte propera concidit,
arcana qui solus sui
sciturus domini fuit.

CVI CIL. II 2660. Legione Gallaecciae in sinistra parte arae quam Q. Tullius Maximus legatus legionis VII gem. fel. consecravit Dianae. cf. specimen I n. 4. 1 *altifrons* vocabulum novum, ὑψηλῶρον ἔλαφον Homerus 3 in hexametris eiusdem arae *aequora campi* dicuntur (Verg. Aen. VII 781, Nemes. cyneg. 269). comparavit Huebnerus nomen quo Hispani hodie incultos campos designant *páramo* et oppidi nomen *Segontia Paramica*

CVII Brambach inscr. Rhen. 323, Or. 2876, A. L. Meyeri 1268. Coloniae effossus periit. procemium (1—4) quae sequitur narratio, eam patet et exordiri a Glyconeo versu et in eundem desinere (Conrads I. s. p. 17). neque in orthographicis satis fidei penes auctores est (4 *la-*

CVIII

Gaetula harena prosata,
 Gaetulo equino consita,
 cursando flabris compara,
 aetate abacta virgini
 Speudusa Lethen incolis.

chrimanda vel *lachrymanda* traditur, 10 *Xantiae*, 17 *herili*) et alia nescio an ex detrimento lapide parum accurate descripta sint 8 *acris* Crombachius. an *auris* scriptum erat? nam hoc mihi constat non paucos post 8 olim fuisse versus qui musicam Sidonii virtutem enarrarint, quamquam testimonium de lacuna nemo dixit. 9 ss. in altera parte inscriptos aiunt

12 ne in omittendum fuisse aut scribendum *litteras et nomina* censeas, *notare* iste absolute protulit tanquam notas facere. comparavit cum hac notarii descriptione Conrads Manilianam IV 197 (adde Martialem XIV 208 Ausonium epigr. 146) 16 *supererat* Meyerus male

18 *dictatum* ut dictum fama epistula *volans* dicitur ad *proximam aurem* id est ad aures intumorum et maxime familiarium hominum. puer enim *volans* si intellegitur, *proximam* non expedito 22 inter *sciturus* et *domini* simile crucis signum fertur interpositum

CVIII Mommsen IRN. 7147. in museo Neapolitano. litterae pulchrae alteque incisae dicuntur. praescriptum est *d(is) m(anibus)*. eiusdem fere aetatis hoc carmen videtur et A. L. Riese 903 de Borysthene Hadriani veredo factum epigramma Anacreontis et Pherecrateis mixtum. corripiebant finalem in *cursando* ac similibus Seneca eoque posteriores poetae (L. Mueller de re metr. p. 339), *compara* unde comparandi verbum profectum est apud antiquos non invenitur (cf. *coniuga* spec. I n. 46)

1 de Gaetulicis equis quorum etiamnum pernicitas plurimi aestimatur vide Gratium 517 vel Nemesianum cyn. 259 2 equinum pecus genusve novimus, solum *equinum* ignoro quid valeat aliud. certe nec ecus eculusve ita neque equile potuit dici. stirpe Gaetula orta esse Speudusa primo versu praedicatur, hoc Gaetulos habuisse etiam parentes ut ex stemmate cognoscatur generositas (Stattius silv. V 2, 22) 4 *virgini* fortasse ablativus adiectivi. pro *virginali* ut ecclesiastici scriptores *senectam virginem* similiaque usurparunt

In titulo Carthaginensi Hispaniae CIL. II 3493: *M. Oppius M. f. foresis ars hic est sita, flet titulus se relictum* quamquam dimeter iambicus est optimus, meditatatum tamen carmen non arbitror, quia simplex mortui hominis nomen non cadit in eam aetatem qua dimetrorum viguisse studia ex litteris monumentisque colligitur. item qui incobant orationem dimetri apud Orellium 4551 *sacrum quieti corporis Petroniae Glyconidis, M. Vettius Synegdemus coniugi optima* casu potius quam consilio nati videntur. contra in Africana inscriptione Renier Alg. 4099: *d. m. s. aeterna domus hic est. pausum laboris hic est. aliquid memoriae hoc est. Q. Fonteius Saturninus se vivo fecit et dedicavit* agnoscendos censeo dimetros catalecticos vel Anacreonteos tres rhythmica norma exactos.